

QUAESTIO VIII.

Deinde quaeritur de hoc quod pertinet ad gloriam, scilicet de visione Dei in patria; scilicet utrum aliquis intellectus creatus possit videre Deum per essentiam.

ARTICULUS XVII.

Utrum aliquis intellectus creatus possit videre Deum per essentiam. — (Art. 1 et 141; et 1 part., quaest. 12, art. 1, et art. 4 ad 3; et de Ver., quaest. 8, art. 1; et 4, dist. 49, quaest. 1, art. 1.)

Et videtur quod non. 1. Intellectus enim ad intelligibile est aliqua proportio. Sed intellectus creati ad divinam essentiam nulla est proportio, cum distent in infinitum. Ergo intellectus creatus divinam essentiam videre non potest.

2. Praeterea, plus distat spiritus increatus ab intellectu creato, quam spiritus creatus a sensu. Sed sensus non potest cognoscere spiritum. Ergo nec intellectus spiritum increatum.

Sed contra est. Exod. xxxiii. super illud: *Non videbit me homo, et vivet*, dicit Glossa Gregorii (lib. XVIII. Mor., num. 90: *Fuere nonnulli qui Deum dicerent etiam in illa regione beatitudinis in claritate sua conspici, sed in natura minime videri; quos nimirum minor inquisitionis subtilitas fecellit. Neque enim illi simplici et incommutabili essentiae aliud est claritas, aliud est natura; sed ipsa ei natura claritas, ipsa claritas natura est; et ita essentia Dei videbitur a beatis.*

Respondeo dicendum, quod necesse est ponere divinam essentiam videri a beatis. Beatitudo enim est ultima perfectio rationalis naturae. Nihil autem est finaliter perfectum, nisi attingat ad suum principium secundum modum suum: quod ideo dico, quia ad principium, quod est Deus, attingit aliquid dupliciter. Uno modo per similitudinem, quod est commune omni creaturae, quae tantum habet de perfectione, quantum consequitur de divina similitudine. Alio modo per operationem, ut praeterrittatur ille modus qui est Christo singularis, scilicet in imitate personae. Dico autem per operationem, in quantum rationalis creatura cognoscit et amat Deum. Et quia anima immediate facta est a Deo, ideo beata esse non poterit nisi immediate videat Deum, scilicet absque medio quod sit similitudo rei cognitae, sicut species visibilibus in pupilla vel in speculo; non autem absque medio quod est lumen confortans intellectum, quod est lumen gloriae, de quo in Psalm. xxxv. 4,

dicitur: *In lumine tuo videbimus lumen*; hoc autem est per essentiam Deum videre. Unde in hoc ponimus beatitudinem rationalis creaturae, quod Deum per essentiam videbit, sicut Philosophi, qui posuerunt animas nostras fluere ab intelligentia agente, posterunt ultimam felicitatem hominis in continuatione intellectus nostri ad ipsam.

Ad primum ergo dicendum, quod proportio dupliciter dicitur. Uno modo proprie, secundum quod importat quemdam determinatum excessum; et sic proportio requiritur inter intellectum et intelligibile ad hoc quod sit cognitio cum comprehensione, qualiter divina essentia nunquam videbitur ab intellectu creato. Alio modo dicitur communiter per qualibet habitudine, et sic infinitum potest habere proportionem ad finitum, si sit perfectio ejus, vel aliquam huiusmodi habitudinem habeat ad ipsum: et talis proportio sufficit ad hoc quod intellectus noster videat divinam essentiam attingendo, non comprehendendo.

Ad secundum dicendum, quod objectio illa procedit de distantia secundum proprietatem naturae, non solum secundum rationem cognitionis; nam spiritus creatus non est sensibilis, sed spiritus increatus est intelligibilis.